INTRODUCTIONIS AD COMMENTARIUM

DE THRENIS JEREMIAE

CAPITA NONNULLA.

DISSERTATIO INAUGURALIS THEOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

SUMME REVERENDI THEOLOGORUM ORDINIS

IN

ALBERTINA LITERARUM UNIVERSITATE Königsberg

PRO

LICENTIATI IN THEOLOGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXX. MENSIS OCTOBRIS MDCCCXC HORA XI

PUBLICE DEFENDET 1890

MAXIMILIANUS LOEHR

DR. PHIL.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT:

THEODOR PRIESS, VICARIUS.
GERHARD FISCHER, CAND. THEOLOGIAE.

REGIMONTI

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

I.

De libri, qui inscribitur איכה, nomine et de loco, quem in canone habet.

A. De nomine:

In hebraicis codicibus manuscriptis et editionibus hic liber inscribitur איכה.

In tractatibus thalmudicis et in Rabbinorum commentariis inscribi solet קינות; ut duo exempla afferam, baba bathra 15a: Ieremias scripsit librum suum et librum regum et קינות; tum berachoth 57b: Is qui librum קינות per somnum videat, caveat a rebus adversis.[1])

In versione LXX hic liber nominatur *Θρῆνοι* sive *Θρῆνοι Ἱερεμίου.* In initio libri haec legitur praefatio: *καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τὸν Ἰσραὴλ καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ εἶπεν.*

In versionibus, quae vocantur Itala et Vulgata, nomen Threnorum i. e. lamentationum Ieremiae prophetae occurrit. Ut in illa LXX versione ita quoque

1) Plus exemplorum affert Flöckner, in Tübing. theol. Quart.-Schrift, 1877, II, p. 187 ss.

in his versionibus praefatio invenitur, haec verba continens: Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel et Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens et planxit lamentatione hac in Ierusalem et amaro animo suspirans et eiulans dixit —.

Caput quintum hac inscriptione ornatum est: Oratio Ieremiae prophetae.

In versione Syriaca inscriptio libri nostri haec est: liber lamentationum Ieremiae prophetae.

In operibus patrum haec nomina lectori occurrunt: *θρῆνος*, *θρῆνοι*, threni, lamentationes, lamenta.

B. De loco, quem liber noster in canone habet.

In codicibus Hebraicis ordo librorum, quos hagiographa nominant, in quibus liber noster numeratur, varius est.

In codicibus Hispanicis libri positi sunt hoc ordine: Paralipomena, Psalmi, Iob, Proverbia, Ruth, Canticum, Ecclesiastes, Threni, Esther etc. Sed in codicibus Germanicis ita numerantur: Psalmi, Proverbia, Iob, Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes etc. Hunc ordinem servant eae editiones, quae his temporibus plerumque in manibus virorum doctorum sunt; in iis editionibus igitur librum lamentationum invenimus in loco hagiographorum sexto inter libros Ruth et Koheleth inscriptos.

In tractatu thalmudico, baba bathra (fol. 14b) inscripto, invenitur liber threnorum item inter hagiographa, quae hoc ordine collocata sunt: Ruth, Psalmi, Iob, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum, Threni, Daniel etc.

In LXX versione threni sequuntur librum Ieremiae prophetae; item in versionibus Itala et Vulgata.

Quae apud Iosephum non aliter se habuisse nobis coniciendum est. Nam cum threni inter ea quattuor opera, quae continet pars tertia librorum *δικαίως θεῖα* nominatorum, propter argumentum suum inveniri non possint, *αἱ δὲ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν θεὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσιν* (c. Apion. I, 8), dubitandum non est, quin Iosephus librum threnorum et librum vaticiniorum Ieremiae in unum volumen coniunctos habuerit.

Neque aliter diiudicandum est de canone Melitonis Sardici, quem *ἀνελθὼν εἰς τὴν ἀνατολὴν καὶ ἕως τοῦ τόπου γενόμενος ἔνθα ἐκηρύχθη καὶ ἐπράχθη* (Eus. h. e. IV. 26, 14) cognovit et memoriae tradidit. Threni ne hoc quidem loco nominatim enumerantur, tamen inter omnes constat eos cum libro Ieremiae coniunctos esse.

In canone ab Origine memoriae tradito, *ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασιν*, liber noster primum nominatim una cum vaticiniis Jeremianis enumeratur, Eus., hist. eccl., VI, 25, 2: *Ἱερεμίας σὺν Θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνί, Ἱερεμία.*

Dignum esse nobis videtur, quod hoc loco afferamus primum enumerationem scripturarum Veteris Testamenti sacrarum ab Epiphanio episcopo allatam, quae inveniri potest in eius de mensuris et ponderibus libro; in extrema capitis 23 parte haec verba affert: *αὗται δὲ αἱ εἴκοσι ἑπτὰ βίβλοι εἴκοσι δύο ἀριθμοῦνται κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν στοιχείων, ἐπειδήπερ καὶ πέντε στοιχεῖα διπλοῦνται, καθὼς ἄνω προείπομεν. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη*

μικρὰ βίβλος ἣ καλεῖται Κινώθ, ἥτις ἑρμηνεύεται θρῆνος Ἱερεμίου. αὕτη δὲ τῷ Ἱερεμίᾳ συνάπτεται, ἥτις ἐστὶ περισσὴ τοῦ ἀριθμοῦ καὶ τῷ Ἱερεμίᾳ συναπτομένη. (de Lagarde, symm. II, 179).

Idem auctor dicit in libro adversus haereses I, 8, 6: εἰκοστὴ δευτέρα Ἱερεμίας ὁ προφήτης μετὰ τῶν Θρήνων καὶ ἐπιστολῶν αὐτοῦ τε καὶ τοῦ Βαρούχ.[1])

Deinde afferamus canonem Augustini (de doctrina christiana II, 13), in quo lamentationum libri mentio facta non est; quam ob rem hoc quoque loco nobis conicere licet, illum librum cum vaticiniis Ieremiae fuisse coniunctum.

Denique prologum, qui dicitur galeatum Hieronymi, qui threnos neque in ordine prophetarum, quorum locum sextum Hieremias habet, neque in ordine tertio, in hagiographis commemorat, tamen iis eundem quem Augustinus attribuit locum. Sub fine enumerationis eius haec legimus verba: Atque ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo i. e. Mosis quinque, prophetarum octo, hagiographorum novem; quamquam nonnulli Ruth et Cinoth inter hagiographa scriptitent et libros hos in suo putent numero supputandos, ac per hoc esse priscae legis libros viginti quattuor.

His ita disputatis, convertamus nos ad quaestionem

1) Conf. Hilar. Pictav. (†366) prolog. in ps.: Hieremias cum lamentatione et epistola.

Athanas. (†375) ep. fest. Ἱερεμίας καὶ σὺν αὐτῷ Βαρούχ, θρῆνοι, ἐπιστολή.

Cyrill. Ierusal. (†386) catech. IV, 35 (βίβλος) καὶ Ἱερεμίου μετὰ Βαρούχ καὶ θρήνων καὶ ἐπιστολῆς etc.

II.

De forma et de argumento carminum et de eorum compositione.

A. De forma carminum.

Forma poëtica, quae in carminibus threnorum perficiendis adhibita est, artificiosissima est nominanda, non solum quod ad ordinem versuum massoreticorum, sed etiam quod ad structuram singulorum versuum attinet.

Primo enim obtutu apparet, versus ordinem Hebraicorum elementorum sequi, idque in carminum nostrorum quattuor primis; reliquum autem est, ut adiciamus in capitibus primo, altero, quarto singulos modo versus massoreticos, in capite tertio ternos versus eadem litera inchoari;[1] deinde restat ut addamus, in capite primo literam ע praepositam literae פ, in capitibus II—IV postpositam esse.

Codices igitur nonnulli in Kennicottii V. T. Hebr. cum var. lect. et in de Rossii variis lectionibus V. T.

1) Itaque capita I, II, IV in viginti duo, caput III in sexaginta sex versus (scilicet massoreticos) divisa sunt.

lectori in capitibus I—IV praebent ordinem literarum ע פ, versibus XVI. et XVII. in capitibus II—IV mutatis[1])

Eandem mutationem perficit versio Syriaca. Versio LXX satis habet, nomina literarum, quae singulis versibus praeponit, in capitibus II—IV in ordinem capitis primi Ἄϊν—Φή restituere; versus autem ipsos in ordine textus Hebraici praebet.

Commentatorum sagacitas magnopere studuit, causam huius differentiae perspicere.

Grotius Ieremiam in capite primo ut Hebraeum, in capitibus II—IV ut imperio Chaldaeorum subiectum verba fecisse putat, arbitratus „Chaldaeos" ordinem literarum, qui in capitibus II—IV occurrit, usurpasse.

Kennicottius (dissert. general. in V. T. § 23 p. 43) et Iahnius (Einl. II, p. 574) a librario vitium factum esse putant, Bertholdtius (Einl. p. 2321) oblivione quadam poetam in errorem inductum esse contendit, „cum enim in secundo carmine errasset poeta in illa litera, errore semel facto inductum eadem ratione quoque in ceteris eum fuisse lapsum." Rieglerus (Klagelieder p. 5) etiam poetae licentiam causam esse ducit huius literarum ordinis. Kalkarus (lamentationes p. 55) discrepantia in psalmis 25 et 34 observata ad eam adductus est sententiam, ut putet, huius rei causam ex *παλαιογραφίας* nunc quidem nobis incognita et fortasse adhuc indaganda

---

1) Memoria dignum esse mihi videtur in psalmo XXXIV primitus eundem literarum ordinem, quem in capitibus II—IV invenis, ע—פ fuisse.

ratione quadam quaerendam esse. Haec interpretationis experimenta in medio relinquere nobis licet.

Ewaldius (Dichter des A. B.[1] p. 143), Wiedenfeldius (Klagelieder p. 8), Thenius (Klagelieder p. 124), Nägelsbachius (Jerem. und die Klagelieder p. IX) etc. sentiunt. ordinem elementorum Hebraicorum in aliis regionibus et temporibus alia fuisse.

Haec sententia inquisitionibus Sommeri, viri doctissimi, sub titulo Biblische Abhandlungen (I, p. 145 s.) editis ita convicta est, ut porro defendi non possit.

Sed si quis, ut Maurerus, non simpliciter quaerere velit: turbati ordinis alphabetici causa quae fuerit, scire quid interest (comment. gramm. critic. ad cap. II, 16), aut ut Gerlachius[1]) desperate confiteri, hanc rem expediri non posse, commendatione mihi dignum esse videtur mentionem facere illius Pareau, viri doctissimi, qui iam anno 1790 (conf. Kalkar. p. 54/55)[2]) aliqua licentia in alphabeticis carminibus usos fuisse poetas Hebraeos censuit. Keilius (Klagelieder p. 547), qui illius Pareau sententiam comprobat, addit: „Wir finden auch in andern alphabetischen Liedern mancherlei Abweichungen von der Regel, welche unverkennbar zeigen, dass die Dichter sich nur so lange streng an die Fessel der alphabetischen

---

1) Gerlachius (Klagelieder p. 10) dicit: „Zufällig ist diese Differenz in 2—4 sicher nicht, da sie dreimal hintereinander wiederkehrt; die Absicht aber, welche dabei obgewaltet hat, vermögen wir nicht mehr zu errathen.

2) Opusculum illud a Pareau editum, quamvis diligenter et in multis bibliothecis quaesiverim, inspicere mihi non licuit.

Regel banden, als dieselbe sich ohne Künstelei dem Gedankengange fügte."

Ordinem literarum alphabeticum labasse, minime coniciendum est (conf. ψ 119; Prov. 31,10 ss.; ψ 111 et 112); sed a poëta argumentum carminis respiciente ordinem alphabeticum non semper servatum, sed potius pro necessitate mutatum fuisse veri simile est; hoc, ut exempla afferam, in ψ 25,18. 34, 7 factum esse, hoc et in capitibus II—IV libri threnorum accidisse nobis apertum esse videtur.[1])

Nodus quaestionis nostrae non persolvitur, sed persecatur, si Wiedenfeldii sententiam audimus, qui putat sine ulla contextus turbatione versum decimum sextum facillime versui decimo septimo praeponi posse, aut si Meierum sequimur (poet. Bücher des A. B.) etiam in tribus capitibus mediis mutationem versuum suscipientem. Talem mutationem a sententiarum ordine abhorrere, saltem in capitibus II—IV Schneedorferus iure contendit.

Caput quintum libri threnorum non est carmen alphabeticum, sed habet eundem quem capita I, II, IV numerum versuum massoreticorum. Cur ordo literarum in hoc carmine neglectus sit, Kalkarus „haud facile quemquam invenire" merito dicit. Ewaldius, in Bertholdtii sententiam concedens, censuit, auctorem defecisse otium magnam operam literas initiales elegendi suscipere. Et Gerlachius causam eius rei invenit in argumento capitis, quod esse orationem dicit. Opiniones utriusque

1) De Kalkari (p. 55) contradictione: atqui illa licentia in פ litera semper occurrit, in posteriore capite agitur.

viri doctissimi nobis minime probantur. Nam versus huius capitis artificiosissime constructi sunt. Itaque recte Reussius haec verba fecit: Es ist an die Stelle der Buchstabenordnung die Assonanz getreten, oder (wenn man so sagen will) der unregelmässige Reim, der uns 44mal begegnet (u, nu, anu, inu, enu, unu)." Quae cum ita sint, cognoscis auctorem neque otium versus artificiose construendi defecisse et illam constructionem artificiosam argumenti vel orationis causa minime neglexisse. Negotium igitur vel scrupulus quidam ordini alphabetico contraria fuisse nemo erit qui sentiat. Quod autem Buddeus (ZATW 1882, I, p. 45) quaestioni, cur in capite quinto non forma lamentationis, quae in capitibus I—IV, adhibita sit, sic respondet, poetam eam formam necessariam non esse putasse, quod caput illud lamentationem non contineat, ad caput tertium eum adducimus, quod, ut ipsius verbis utar, „ein weit vorgeschrittenes Stadium der Uebertragung" praebet. Itaque si respicimus conexum, qui intercedit inter argumentum capitis V et argumentum capitum I—IV, nihil impedit quominus poëta etiam in nostro capite versum lamentationis adhibere potuerit. Haec hactenus.

Nunc agamus de structura huius versus lamentationis.

Versus massoreticus in capitibus I et II in ternas, in capite IV in binas partes divisus est. In capitibus III et V versus massoreticus cum una eiusmodi parte congruit. Sed qualis est illa pars i. e. versus lamentationis? Ne clare et distincte quaestionem illius versus

perspiciamus, adhuc semper prohibitum est sententia, qua sentiunt auxilio interpunctionis traditae (vocalibus et accentis) metrum quoddam inveniendum esse; omnibus eiusmodi experimentis demonstratum est, sententiam illam irritam et omnes in illa fundatas hypotheses vanas esse. Ea ipsa in re praestantia earum posita est, sed hac re etiam damnantur. Pari modo damnabile est Reverendi C. I. Ball experimentum ‚the metrical structure of Qînôth' propositum in proceedings of the society of biblical archaeology, vol. IX, p. 131 ss.

Versus lamentationis (et omnino versus hebraicus) non ex metro syllabas numerante cognoscitur, sed ex sententia verbis rhythmice accentuatis exposita.

De Wette (Comm. üb. d. Psalm.[2]) primus formam rhythmicam animadvertit, idque praecipue in threnorum libro. In capitibus I et II, ut ipsis eius verbis utamur, bestehen diese Verse aus drei parallelen Gliedern, wovon jedes eine Cäsur dem Sinne und dem Gedanken nach hat. Hierbei muss man bisweilen die Accente verlassen; de capite III dicit: „Es hat nur eingliedrige Verse; allein das eine Glied ist doch so rhythmisch getrennt, dass, wo nicht ein ganzer rhythmischer Parallelismus, doch ein Nachschlag, der zur Ruhe führt, entsteht. De Wette non multum aberat, ut nostrum versum recte explicaret; sed cum in postero dicit: „in III, 3 reicht כל־היום nicht zur Bildung des Nachschlages aus," perlucide demonstrat, quam incerta sua versus cognitio fuerit.

Ewaldium, virum doctissimum, fortuna a recta et plana

cognitione retinuit. Nam in prima editione operis sui „poët. Bücher des A. B.“ 1839, p. 142 dicit: In cap. I und II hat der Vers drei langgedehnte Glieder, wovon viele leicht in zwei kleinere Glieder sich wieder spalten lassen. Hunc versum, quem nominat „Langvers“ vel „Vers mit meistens langen Versgliedern“ invenit quoque saepius in psalmis. Sed quomodo hic versus dividi possit, nusquam exponit. Eadem ratione agit etiam in editione tertia operis supra nominati de duobus primis threnorum carminibus; ibi enim (p. 325) haec affert: „Der Dichter führt überall die „Langglieder“ durch und bildet aus je dreien eine Reihe oder kleine Wende.“ Sed in editione altera operis „die Propheten des A. B.“ 1868, III, p. 20 de capite XIV libri Isaiae prophetae haec verba leguntur: „Bei den sieben Langgliedern jeder Wendenabtheilung ist das letzte der beiden Glieder, aus denen sich jedes Langglied zusammensetzt, unverkennbar kürzer; dieses hängt sicher mit dem Kunstbaue des Gedichtes als eines Klagliedes zusammen.“

Eandem quam Ewaldius etiam Hävernick-Keilius (Einl. i. A. T. 1849, III, p. 512 et Comm. über Jerem. und die Klagelieder 1872, pag. 546 s.) sententiam assecutus est. Dicit, ut maioris perspicuitatis causa eius ipsius verbis utar, haec: „Die Verse des ersten und zweiten Capitels sind lange, dreizeilige, in der Regel noch durch eine Cäsur des Gedankens in zwei Abschnitte von ungleicher Länge getheilte Stichen.“

In commentario supra citato Keilius expositionem cognitionis suae paullum in deterius mutavit, cum dicit:

„Die Stichen sind in der Mitte jeder Zeile durch die Cäsur in zwei Abschnitte von ungleicher Länge getheilt;“ „im vierten Liede bestehn die Verse aus ebenfalls durch Cäsur halbierten Zeilen.“

Haevernickium et Keilium sequitur non solum quod ad tempus, sed etiam quod ad verba ipsa pertinet, Thenius (kurzgefasstes exeget. Handbuch, 16. Lieferung 1855, Klagelieder p. 124). Ille dicit: In cap. I—III ist jeder Versabschnitt ein Tricolon, dessen Glieder in der Regel noch durch eine Cäsur des Gedankens in zwei Abschnitte von ungleicher Länge getheilt sind. In cap. IV ist jeder Vers ein Distichon, ebenfalls mit Cäsur.“

Fz. Delitzschius, cuius editio princeps commentarii in psalmos confecti anno 1859 publicata est, etiam anno 1883 in editione quarta huius operis de versu nostro dicit: „Dieser Vers ist eine zweiteilige, aus zwei Atemzügen bestehende Langzeile des Cäsurenschemas.“ et de initio capitis primi threnorum haec affert: „In den beiden ersten Strophen der jeremianischen Klagelieder, wo jede Zeile eine aus Hebung und Senkung bestehende zweitheilige Langzeile ist, schliesst eine Hauptsenkung hinter der Cäsur der dritten Langzeile die Strophe ab.“ — Locum igitur caesurae recte perspexit, sed qui sit ille versus, nihil declarat.

Nägelsbachius (Lange's Bibelwerk, A. T. XV, Jeremias 1868) ad versum accuratius cognoscendum nihil attulit. Dicit enim: „Cap. I—III enthält lange, aus je drei Distichen bestehende Verse. In cap. IV bestehen

die Verse aus zwei Distichen. Ein bestimmtes Maass für die Länge der einzelnen Stichen besteht nicht."

Julius Ley demum affirmat, hemistichum secundum primo brevius esse.

Denique Ed. Reussius etiam anno 1881 (l. c. p. 398) dicit: „Die drei ersten Capitel bestehen aus zweiundzwanzig Strophen, von je drei Langversen, die überall durch eine Cäsur in zwei gleiche Hälften getheilt sind, so dass man füglich von sechszeiligen Strophen reden darf. Das vierte „Stück" besteht ebenso aus zweiundzwanzig Strophen zu vier Hemistichen." Et hanc opinionem Reussius etiam in editione operis sui altera non mutavit.

Carolus Buddeus illis adhuc nominatis disquisitionibus non antea cognitis opinionem valde commendabilem de lamentationis versu nostro protulit, in tractatu quodam in Z A T W 1882, I publicato. Buddeus haec fere verba facit: „In den ersten vier Capiteln des Buches der Klagelieder bildet die überall gleichwerthige Formeinheit ein kurzer Vers, der durch einen Einschnitt des Sinnes in zwei ungleiche Theile zerlegt ist, so dass der zweite kürzere Theil zum ersten längeren wie ein Nachhall erscheint. In dem Verhältniss dieser beiden Verstheile, das wie 3 : 2 oder 4 : 3 (4 : 2) zu bestimmen ist, liegt der Charakter dieses Verses." — Hunc versum nominat Buddeus, „den specifischen Klageliedvers."

Si terminos prosodiae Graecorum et Romanorum in opera poëtica nobis in canone tradita transferre veli-

mus, respiciendum nobis est, nos hoc loco invenire poësin, quae non spectat ad quantitatem syllabarum neque cognoscitur ex metro aliquo, sed quae spectat ad numerum et cognoscitur ex syllabarum numero. Numerus autem in poesi hebraica non ita intérpretandus nobis est, ut sit consecutio syllabarum sono enuntiatarum, quae post certa inter se comparia intervalla sive longa sive brevia repetitur. Nam ut talis consecutio observetur, necessaria est numeratio syllabarum, qua carere poesin hebraicam tandem in animum inducere debemus.[1]) Itaque numerum tantum sic interpretari debemus, ut syllabae adsint, quae sono enuntiantur; secundum quam legem eae syllabae sono enuntientur, ignoramus; nisi contradictio in adiecto nobis opprobrio daretur, dicere vellemus in poësi hebraica modo existere *ἄνομον ῥυθμόν*.

Compositio quaedam syllabarum sono enuntiatarum, nominatur linea numerosa vel versus. Versus dividitur in cola; quae caesuris[2]) construuntur. Systema versuum nominatur stropha.[3])

---

1) Ex eo quod in nonnullis psalmis versus intercalares invenimus, non absolute concludere debemus, metrum exstitisse in poësi hebraica. Sed si metrum exstiterit, adhuc certe nobis incognitum est.

2) Hic quoque terminus in poësi hebraica aliam habet vim atque in poësi Graeca et Romana, nihil enim significat nisi caesuram sensus.

3) Commendabile est, his terminis semper uti; qua re multitudo varia et permutatio ex libidine facta terminorum a viris doctis electorum vitaretur, e. g. Ewaldii „Wendenabtheilungen" apud alios sunt „Strophen"; eius „Langglieder" apud Wiedenfeldium

Proprium versus in libro threnorum adhibiti est caesura a Buddeo declarata, versum dividens pro partitione supra allata. Quod Buddeus alterum brevius versus colon systema verborum vel ut ipse dicit Wortgruppe esse sentit, haec sententia probanda est.

In pagina 7 tractatus supra citati Buddeus tres modificationes metri ab eo constituti enumerat. Minimae exceptiones inveniuntur sub modificatione tertia, ubi, ut Buddeus dicit, der Rhythmus mit dem Gedanken in leichte Collision kommt, ut aliis verbis utar: caesura est eo loco, quo secundum legem exspectanda est, minime insignis. Sed certe contra accentus massoreticos eo loco invenire eam nobis licet. Buddeus enumerat sub hac modificatione I, 10 c. 13 a. II, 8 b. III, 20. 27. Mea quidem sententia apud I, 10 c. 13 a. III, 27 difficultas aut irregularitas non existit. (conf. commentarium ad loc.) II, 8 b textus mihi corruptus esse videtur; item III, 20.

Buddei prima modificatio oritur parva mutatione metri, perlongatione coli primi. Confer ea, quae ad hoc affert Thenius p. 124: Eine Abweichung von der Regel besteht zuweilen in der Erweiterung der einen oder der anderen Stiche, I, 17 (Budde p. 10); II, 19 (Budde p. 9); IV, 15 (Budde p. 8).

Modificatio altera Buddei gravissima esse videtur; agitur enim de iis versibus, in quibus caesura paene aut accurate in medio versus posita est. Buddeus dicit:

„Absätze"; hic nominat p. 6 „Reihe", quod p. 5 est „Vers" (sc. massoretischer); „Versglied" quod p. 5 „Zeile" est.

„die Länge und Wucht der im ersten Colon gebrauchten Wörter sichern diesem sein Uebergewicht.“ Haec sententia nimis ex auctoris licentia deducta esse videtur; exempli gratia Buddeus notat IV, 13b; mea quidem sententia potius 13a appellanda erat. Hanc igitur alteram Buddei modificationem rectius ex neglegentia poëtica aut impotentia pulchriores versus faciendi declarandam esse putamus. Versus enim noster et in toto canone modo singulari pulchritudine modo depravata forma invenitur et in nostro quoque libro hac ratione variatur. Ut exemplum afferam, primum caput iis versibus, qui in modificatione altera numerantur, praecipue abundat. Buddeus decem versus affert. Huc accedit, quod versus capitis primi omnino Buddei metro multis locis contradicunt. Hi versus sunt, in quibus certe duae partes sunt perturbatae: 1, 2, 4, 9, 10, 13, 18, 19 et v. 7, cuius textum corruptum esse veri simillime est. Praeterea v. 3b, 8a, 12c, 17c praebent suspicionem. Hic locorum deformatorum numerus mirabiiis est ei qui versus ceterorum capitum comparat. In capite II unus versus 21 molestus est. versus duodevicesimi textus corruptus est;[1]) praeterea notandi sunt 2b, 3a, 4c, 9a, 17c, 19c.

In capite tertio exceptis versibus 13 et 20, quorum textum deformatum esse manifestum est, complexus nonnullorum versuum non congruit cum Buddei metro. Fortasse his quoque locis textus non plane integer est.

---

1) de corruptione textus hoc loco specialiter agere non possumus; confer infra in comm.

In capite quarto uno versu 15 offendimur; fortasse corruptione textus. Omnino graves sunt versus: 3b, 13a, 14b, 19b.

Buddeus nostrum versum nominat „den specifischen Klageliedvers" (ZATW, 1883, II, p. 301).

Hic versus in iis carminibus, quae in ore populi sunt, antiquis temporibus invenitur
exempli gratia:

Gen. IV, 23. 24.

Regn. α XVIII, 7.

Isa. XXIII. 16.

In lamentatione Davidis in Ionathan facta non invenitur, quod Buddeus non feliciter explicare mihi videtur.

In operibus propheticis versus lectori occurrit:

Osee VI, 7.

Amos V, 1. VIII, 10.

Isa. I, 21.

Isa. XXII, 3. 4.

Abd. 6. 7. 12—14.

Ier. IX, 120. 21. XXII, 6. 7. 21—23. XXXI, 6. XXXVIII, 22. XLVIII, 18. 19. XIL, 14—16. 25. 31.

Tum in nostro threnorum libro.

Deinde Ez. XIX, 1—14. XXVI, 17. 18. XXVII, 155. XXVIII, 18. 19. XXII, 1- 16. 17—32.

Sed Buddei metrum in versibus capitis XXXII vix cognosci potest.

Micha II, 4.

Isa. XIV, 4—21.

Apud Nah. et Soph. versus passim legitur.

Denique metrum nostrum invenitur in compluribus psalmis minoris aetatis; e. g. ps. 19,8 ss. 42. 43. 65,5—7. 101. 137,4—8; maximam partem et in iis psalmis, qui dicuntur שירי המעלות.

Fontes pro rata parte rari sunt. Itaque modo conicere audemus haec:

Versus invenitur in carminibus, quae antiquis temporibus in ore populi fuerunt, sed in lamentationibus stricte dictis non occurrit.

In operibus propheticis adhibetur in lamentationibus late dictis משל, נהי, קינה.

Utrum igitur versus noster demum a prophetis in lamentationibus adhibitus sit an iam antea in poesi populari usu venerit, incertum est. Post aetatem propheticam versus occurrit in poësi religiosa et didactica.

Itaque cum Buddeum sequentes versum nostrum den specifischen Klagelied-Vers nominare velimus, ad aetatem propheticam et threnos late dictos nobis respiciendum est.

Versus capitis quinti, quod ad structuram pertinet, valde alius est ac versus capitum quattuor primorum. Quamquam v. 2, 3, 14 secundum Buddei metrum constructi sunt, tamen casu nobis factum esse videtur, cum reliqui versus in duo comparia cola divisa sint.

Si extremo loco de formae acrostichicae aetate quaerimus, duo iudicia apud commentatores invenimus.

Hengstenbergius (Psalm.-Comm. II, p. 93) et Somme-

rus (l. c. p. 94/95),[1]) viri doctissimi, aetatem formae acrostichicae veterem defenderunt. Et certe quidem causae eorum gravissimae sunt. Eis contraria est opinio De Wette (Pss. p. 58), illius viri doctissimi, qui Hoffmanno assentitur in Encyclopaedia Halensi (II, 3, 356) docenti, „die alphabetische Ordnung der Verse stellt sich erst ein, wenn der Genius wahrer Dichtkunst bereits entwichen ist.“ Eam opinionem sequuntur Reussius (Herzog RE[1], s. v. hebräische Poesie V, p. 606) et Ewaldius (poetische Bücher[3], I, p. 201). Nos cum Kalkaro (p. 52/53) et Thenio (p. 124) contra Naegelsbachium (p. VIII) et Gerlachium (p. 6/7) eandem opinionem sequimur; quod ad confirmandum lamentationem Davidis in Ionathan factam nominamus. Ea lamentatio est carmen sine dubio vetustissimum, magnae praestantiae poeticae, sed sine forma acrostichica. Praeterea mentionem faciamus acrostichorum artificiosissimorum, velut ps. 119 et Prov. 30,10 ss. Illa sunt carmina ex omnium iudicio recentiora, sed in forma acrostichica scripta.

Si Keilius arbitratur (Einl. III, 514), „die akrostichische Form soll vermittelst der Durchführung durch das ganze Alphabet das Symbol der Vollständigkeit, den Charakter der vollständigen Behandlung geben,“ Thenius illam sententiam obscuram esse recte declarat.

Lowthium illum doctissimum arcessere testem, ut Ger-

---

1) „Man sehe zunächst auf die Klagelieder des Jeremias, in welchen wir eine so ausgebildete und kunstreiche Form der alphabetischen Structur vorfinden, dass sie niemand als einen ersten Versuch der Art betrachten kann.“

lachius (p. 7) facit, plane perversum est; nam ille ipse dicit: forma acrostichica sententias quasdam ipsa rerum et argumenti necessitudine non multum inter se conexas coniungi. Suntne autem collectiones sententiarum, e. g. quas nos „güldenes ABC" appellamus et lamentationes eiusdem argumenti? —

Cum forma threnorum congruit argumentum. Praestantia threnorum poëtica laudatur e. g. a Lowthio (p. 294 s.), et Herdero (in praefatione ad Boermel, Klagelieder 1781) et aliis viris doctissimis.

Certe in illis carminibus versus inveniuntur, qui elatione atque altitudine orationis animos eorum, qui legunt, permovent, praecipue in capitibus II et IV. Sed Wiedenfeldii sententia (p. 4): „die Klaggesänge unsers Propheten gleiten in zartem Flötentone über die Trümmer Jerusalems" perversa mihi esse videtur. Reussius igitur recte iudicat (l. c. p. 397): „als poetisches Werk fesseln diese Lieder den Sinn des Lesers vielmehr durch den furchtbaren Ernst ihres Gegenstandes als durch ihren eigenen literarischen Werth." Opinio denique Schneedorferi (p. 6) et Flöckneri (p. 215/16), qua putant, in his carminibus calamitatem urbis ab homine, qui eam oculis suis viderit, ad fidem historiae narrari, stultissima est nominanda. Nam tanta calamitas atque pernicies totius populi tam polita et faceta forma describi non solent.

B. De argumento.

Argumentum lamentationum non continet querelas animosas,[1]) sed descriptiones miseriarum, quibus homines et regio ira Dei afflicti sunt. In capite primo, quocum commentatores plerumque comparant Ier. 39 et Regn. δ. 25,8—21, describuntur miseriae urbis, quae superbia hostium auctae eo gravius infelices incolas deprimunt. Caput dividitur in partes duas, quarum singulae sententiae modo infirmo nexu inter se cohaerent. Sententias disponere hac ratione conati sumus:

v. 1—4 urbs et tota urbis regio desolata est: Ierusalem, Iuda, Sion. v. 5—11 agitur de culpa Hierosolymitarum eiusqne consequentiis, quae apparent

1. ex maerore incolarum v. 7—9.
2. ex eorum miseriis v. 6 et 11.
3. ex superbia v. 5. 7. 9 et crudelitate v. 10 hostis.

In altera capitis parte urbs se convertit

1. ad viatorem transeuntem v. 12—16.
2. ad gentes v. 18b. 19.
3. ad Deum v. 20—22.

Sub 1 agitur a) de causa doloris v. 12 et 14.

b) de doloris argumento v. 13. 14. 15.

c) de consequentiis: Hierosolyma sedent in maerore, hostis gaudet v. 16.

In versu 17 enuntiatur iterum Hierosolymorum

---

1) Itaque perversum est, quod Gerlachius structuram alphabeticam adhibitam esse docet, ut querelae facile immoderatae coercerentur.

et Sionis fortuna: frustra tollit Sion bracchia v. 18; Hierosolyma cognoscunt: Iahve est iustus.

Sub 2 sequitur allocutio ad gentes; v. 19 ecce casus meus. Denique vertitur urbs infelicissima ad Deum; v. 20 ecce dolor meus et hostium laetitia, par pari refer iis. —

In capite secundo, pulcherrimo quinque carminum, fortunam Sionis et res populi adversas praecipue ira Dei adductas esse apparet.

Caput dividitur in duas partes, clara consecutione sententiarum aliis excellens; ex versu primo statum terrae praesentem cognoscis. Iahve ira inflammatus populum, urbem, templum destruxit, idque in versibus II—VII accurate describitur. Iahve terras, arces, palatia vastavit; Sion combustum est. Rex, principes, sacerdotes, flos Israelis fame et caede periit. Argumenta et versuum 2 et 3 et versuum 5 et 6 valde inter se similia sunt; item versus 4 et 7 praecipue de Sionis fortuna agunt. Versum septimum sequitur in versibus 8 et 9 nova calamitatis templi descriptio. Ut in versibus 2 et 6, ita in versu 9 poëta animum vertit ad populum, imprimis calamitatem implorat principum: regis, nobilium, sacerdotum, prophetarum. Qua re commovetur in versu decimo de maerore totius terrae agere. Eam intuens magno dolore afficitur, v. 11. Tum de misericordia liberorum in pectore matrum, v. 11 fin. et v. 12 verba facit. Deinde v. 13—19 ad aequales suos vertit, v. 14: prophetae calamitatem tuam adduxerunt; v. 15 et 16 superbia viatorum et invidia hostium tibi maledicit.

v. 17, Jahwe minas suas perfecit. v. 18 et 19 lacrimas igitur effunde neve retineas; ut in versibus 2, 6, 9, hic quoque spectat poeta in versu 20 ad populum. In versibus 20—22 sequitur allocutio urbis ad Deum; statum urbis breviter poëta explicat, sed animum lectoris vehementer percutiens.

In capite tertio omnes observaverunt poëtam maximam partem sententiis uti ex psalterio desumptis; itaque iam ex hac re cognoscitur carmen esse epideicticum. Ut quod formam artificiosam attinet, commentatores saepe formam psalmorum 111 et 112, 119 commemorant, ita ad argumentum versuum 52—54 afferunt, quae inveniuntur in Ier. cap. 38 et in psalm. 30 et 69. Carmen est ex omnibus quinque religiose profundissimum et inter omnes constat, id esse bene dispositum. Dividitur in quinque partes. In prima parte agitur de rebus adversis poëtae, v. 1—16; sed poëta quamquam malis a prima iam iuventute depressus tamen sperat de tempore futuro, v. 17—21; quies animae eius desumpta erat v. 17. 18; itaque desperatione paene fractus Deum vocat; inde venit nova spes in cor eius, v. 19—21. Pars secunda, v. 22—39 continet meditationem religiosam: Dei gratia est infinita. Itaque patiatur, cui iugum Deus imponit. Deus enim, ex quo et bonum et malum oritur, non in aeternum damnat; potius secundum gratiae suae multitudinem hominibus miseretur. Itaque ad modum vivendi nostrum respicientes poenitentia impulsi ad Deum revertamur. In tertia carminis parte describit poëta calamitatem totius populi, effluentem ex eius

peccatis, v. 42—47. Qua re auctor denuo ad suum fatum reducitur, v. 48—54; hi versus usque ad versum 51 describunt poetae in aequales misericordiam; versus 52—54 agunt de poëtae ipsius passionibus. Hanc descriptionem sequitur pars quinta, v. 55—66: oratio poëtae, continens preces auxiliandi, certitudinem salutis, orationem hostes puniendi.

Quod ad caput quartum attinet, a commentatoribus animadversum est necessitudinem et verborum et sententiarum existere inter capita II et IV. Agitur in capite IV imprimis de fortuna incolarum. Dividitur caput in partes tres: In prima parte, in versibus 1—10 explicatur, quibus calamitatibus incolae Hierosolymorum sintafflicti; in parte altera, v. 11—20, de ira Dei contra Hierosolymitanos exarsa agitur; in tertia parte, v. 21. 22, Edomitis poena futura enuntiatur. Ut de singulis illarum trium partium rebus agamus, in versibus 1. 2 narrat poeta, filios Sionis, lapidibus pretiosis pares, ignominia affectos esse; in versu tertio sequitur sententia generalis, lupi sitim explent eorum, quae procreant; matres populi Israelis id non faciunt; in versibus 4 et 5 fortuna liberorum describitur, in versu sexto quasi exitus huius status demonstratur: Hierosolyma sunt peiora quam Sodoma. In versibus 7 et 8 explicat poeta, principes urbis, clarissimos viros, dedecore esse contaminatos. Versus nonus continet sententiam, gladio occidi melius esse quam fame perire, v. 10 agitur de miseriis infantium. Sequitur in versibus 11—20 pars secunda; v. 11 ira Dei in Sionem exarsa est; v. 12 Hiero-

solyma contra omnium opinionem capta sunt. in versibus 13—20 causae huius calamitatis enumerantur: v. 13 peccata sacerdotum et prophetarum v. 14—16 poena eorum. v. 17 peccata populi, v. 18—20 poena eius. In tertia parte, in versibus 21 et 22 poëta praesentem Hierosolymitorum poenam vindicat populo Edomitarum.

Caput quintum orationem esse omnes viri docti antiquitus putant, et, quantum video, solus Conzius aliter sentit. Sine dubio autem hoc caput oratio est. Incipit enim ab. Dei allocutione, v. 1 et precatione: ecce ignominia mea. in versibus 2—14 deinde ignominia describitur, eadem ratione qua in capite primo: sine ordine sententiarum; e. g. in versibus 2—4 agitur de inopia infelicium hominum in agris vastatis relictorum; in versibus 5 et 6 de persecutione incolarum; in versibus 8—10 iterum de calamitate et inopia incolarum agitur. tum in versibus 11—14 dicuntur, quae in urbe capta acciderint; versus 15—18 statum populi describunt. Haec descriptio finitur oratione: renova dies nostros antiquiores.

C. De compositione.

Disquisitionibus de quinque carminum nexu factis iam diu viri docti in sententiam adducti sunt, carmina non in eo ordine, quo nos hodie legimus, scripta, sed postea per „collectorem“ in eum redacta sunt.

Manus commentatorum et criticorum duas sententias defendit. Inter eos, qui regularem coalitionem

inter sententias carminum inveniunt, princeps est Ewaldius, vir doctissimus; eum sequuntur, paene iisdem verbis utentes, Naegelsbachius, Keilius, Schneedorferus etc. Ewaldius nexum sententiarum hoc modo explicat: „Man schauet zuerst Jerusalem selbst und hört, wie sie ringt und klagt; aber was nüzt auch ihr unablässigstes klagen? — So erhebt sich zweitens der prophet, um nur noch tiefer die klage über Sion zu beginnen; doch was hilft auch sein brennendstes klagen? — Noch nirgends will sich die klage und die verzweifelung lösen. Doch da erscheint plötzlich drittens ein einzelner Mann: zum dritten mal, noch schwerer beginnt die verzweifelung: aber der einzelne kann auch am leichtesten durch die eigne, tiefste Besinnung über das ewige Verhältnis Gottes zu dem menschen zur rechten erkenntnis der eigenen sünden und der nothwendigkeit der busse, damit aber auch zum gläubigen gebete kommen. Wer ist dieser einzelne der so klagt, so denkt, so fleht? — dessen ich unvermerkt, aber ganz am rechten orte in das wir übergeht? — O mensch, er ist dein Bild selbst! jeder soll jetzt denken und reden wie er! — Nun ist zwar mit der rechten busse des einzelnen noch wenig gewonnen: noch einmal erhebt sich viertens die klage der männer über so unsägliches leid; insbesondere über die entwürdigung der höchsten und herrlichsten männer Israels; allein die betrachtung, dass doch eben auch die Propheten und Priester selbst die tiefste schuld tragen, und dass das falsche vertrauen des volkes noch immer nicht sich heben wolle, dämpft und kürzt schnell alles zu unklare klagen,

so dass die gerechten klagen desto leichter in die Messianische Hoffnung umschlagen und zum erstenmahle schon wieder ein hoffnungsstrahl alles erhellen will. Daher sie fünftens nur noch einmal sich als klage der ganzen gemeinde erhebt, um bei aller glut kürzer werdend in gläubigem bussgebet und rührendsten seufzern zu verhallen."

Hunc sententiarum nexum fictum esse manifestum est. Itaque eum existere merito negant Conzius, Kalkarius, Nöldekius, Steinthalius,[1]) Montet.[2])

Prima et gravissima eorum causa haec est: Conexum inter caput alterum et caput quartum sine dubio existere primo loco inde cognoscitur, quod carmen alterum non, ut reliqua capita I, III, V, consecratione hostium finitur, qua ex re apparet, illud carmen ad aliud caput spectare, quod cum reliquam carminis partem tum illam contineat consecrationem; tum inde cognoscitur, quod utrumque caput II et IV, argumento et dispositione congruit. Hic autem inter capita II et IV rerum consensus perfringitur capite tertio quod et ad formam et ad argumentum attinet.

Praeterea mirum est, quod poëta in compluribus carminibus de eadem re agat, eam rem non solum eodem colore illustrans, sed etiam perfecte atque abunde verbis exsequens. Mirum deinde est, quod qui in fine carminis quarti, v. 22, sententiam superbam invenerimus, carmen

---

1) National-Zeitung 1887, 65. 68. 72.

2) p. 27: il faut donc reconnaître que l'ensemble du livre manque de plan.

quintum finitum esse putamus exclamatione, ex qua summa exclamantium desperatio elucet.

Quae cum ita sint, dubitandum non est, quin carmina non in ordine originali tradita sint, sed per „colectorem“ in eum ordinem redacta.

Quae his capitibus continentur, pars est dissertationis meae, quam inscripsi: Commentar zu den Klageliedern Jeremiä, erster Theil, Einleitung. Hanc introductionem una cum commentario de threnorum libro partim iam perfecto, partim perficiendo brevi tempore editurus sum.

Vita.

Natus sum Maximilianus Richardus Hermannus Löhr Stettinensis pridie Kalendas Maias anni h. s. LXIV patre Alberto matre Johanna e gente Kühniana, quos adhuc vivos colo. Fidei addictus sum evangelicae.

Postquam Berolini per quinquennium scholam privatam frequentavi, anno LXXVI Ascanio gymnasio traditus eiusque in numero discipulorum versatus sum usque ad annum LXXXIII, quo anno exeunte Regimonti regium gymnasium Guilelminum adii, et uno anno post maturitatis academicae testimonium accepi.

Deinde in numerum civium academicorum Albertinae receptus, studiis et philologicis et philosophicis et theologicis per tria semestria operam navavi; quo facto Gottingam profectus, ibi quoque in academia Georgia Augusta tria semestria iisdem incubui studiis. Regimontium redux cum iterum albo theologorum facultatis Albertinae ascriptus usque ad mensem Martium LXXXVIII anni studia continuavissem, Id. April. examen pro licentia concionandi absolvi. Id. Decembribus eiusdem anni summi philosophiae honores in me collati sunt, postquam

o philosophorum ordini in academia Georgia ...ia dissertationem tradidi continentem Gregorii Abulfaragii Bar Ebhraya in epistulas Paulinas adnotationes syriace. Anno LXXXIX ineunte examen pro reverendo ministerio absolvi et sodalis factus sum seminarii theologici, quod ad aedem cathedralem Berolini floret. Uno anno post exercitationibus exegeticis, quae ad V. et ad N. T. pertinent, quae in seminario illo efficiuntur, praefectus sum et praedicator auxiliarius ad aedem cathedralem Berolini ordinatus a Rudolpho Koegel, clarissimo praedicatore, generali superintendente Marchiae examen rigorosum pro licentiati in theologia honoribus rite obtinendis absolvi pridie Kal. August. huius anni.

Docuerunt me professores:

Baumgart, Cornill, Grau, Jacoby, Klöpper, Knoke, de Lagarde, A. Müller, Prutz, Reuter †, Ritschl †, H. Schultz, Sommer, Thiele, Tschackert, Voigt, Wagenmann †, Walter, Wiesinger, Zimmer,

quibus omnibus gratias ago semperque agam maximas.